

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Promptuarium allegoriarum sacrarum praecipua fidei christianae capita illustrantium: indice quadruplici instructum post editiones 5 revisum, iam septimo recusum

Botsack, Johann

Francofurti ad Moenum, 1678

Caput XVII. De sacramentis in genere

[urn:nbn:de:bsz:31-142795](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-142795)

3. *De cælo descendit*: in terra enim tantum mors fuit. Panis vitæ de cælo delapsus est; Panis vivus est: Terrenus panis vivus non est: Ejus portio vitam in nobis accipit sanguificata ex vitalibus viribus: A nobis accipit, ut pascat: non enim pascit, nisi in sanguinem mutetur.

At Christus vivus panis est, à nobis non accipit, ut pascat, sed nos pascimur in illo, Joh. 10. v. 9. in illo vitam habemus.

4. *Caro mea est*, inquit Christus, ergò sacrificiorum carnes mactatæ vitam conferre non potuerunt. Caro nostra mortua est, quæ vivifico hoc pane pascenda, nutrienda.



CAPUT XVII.

DE

SACRAMENTIS
IN GENERE.VERBO ET SACRAMENTIS
SANAMUR.

1375. *Mulier sanguinis profusivò laborans, Christi ambulantis simbriam tangebatur, & sanitati restituta fuit:* Marc. 5. v. 27. Ita omnes sumus immundi, Job. 14. v. 4. sanguinis profusivò laboramus, h. e. peccatorum fordidibus inquinati, imò toti jacemus in sanguine, Ezech. 16. v. 6. Psal. 51. v. 16. *Libera me de sanguinibus.* Ambulat autem Christus adhuc inter nos, Apoc. 2. v. 1. Fin-
Rr 2 bria

bria verbi & sacramentorum tangenda est, ut spiritualiter sanemur, Sap. 16. v. 12. Verbum autem & sacramenta sunt vestis Christi, quia in his nobis offertur. Fimbriam autem tantum tangimus, quoniam eum ex parte tantum cognoscimus, 1. Cor. 13. v. 9. 12. 1. Joh. 3. v. 2. possidemus, Rom. 8. v. 24. Hæc fimbria templum, hoc est, Ecclesiam implet, Esa. 6. v. 1. Eph. 2. vers. ult. Marc. 6. v. 56. Ægroti fimbriam vestimenti Christi tangentes sanabantur. Ægroti omnes sumus spiritualiter, tactâ sacramentorum & verbi fimbriâ spiritualiter conualescimus.

SACRAMENTA SUNT SPIRITUALIA CIBARIA.

1376. *Joseph fratribus suis, qui eum in gloria non agnoscebant, annonæ caritate terram Canaan infestante, alimenta suppeditavit: ita cœlestis Joseph, Christus, fratribus suis, omnibus piis, Matth. 12. v. 50. cibaria suppeditat spiritualia, dum esurie spirituali justitiæ premuntur, Matth. 5. v. 6. donec in cœlestem abducti Ægyptum cum ipso super mensam bibant, & terræ bonis fruantur, Luc. 22. v. 30.*

SACRAMENTA SUNT LITTIUM MATERIA.

1377. *Aqua contradictionis facta est aqua, ad sitim extinguendam divinitus concessa, percussâ baculo petra, Num. 20. v. 13. Talis sunt baptismatis & cœnæ sacramenta. In his aqua ad sitim animæ, Esa. 55. v. 1. sedandam proponitur, ex petra Christo, baculo iræ Dei percussâ, 1. Cor. 10. v. 4. Zach. 13. v. 7. Matth. 26. v. 23. fluxit. Sed hominum vitio aqua contradictionis facta est, cum Christo instituenti fidem derogant, fidei obsequio submittere se nolentes.*

SACRA-

SACRAMENTA A CHRISTO,

signa salutaria,

1378. 1. Aqua de petra fluxit, Israelitis in deserto ambulanti- bus: ita nobis extra patriam cœlum, Phil. 3. v. 20. constitutis, & peregrinantibus in deserto mundi, 2. Corinth. 5. vers. 1. aqua sacramentorum fluit ex Christo, qui est petra, Esa. 8. v. 14. Matth. 16. vers. 18. 1. Cor. 10. v. 4.

2. *Sacramenta sunt signa salutaria*, Sap. 16. v. 6. *Signum salutis habebant Israelitæ, ad quod conversi sanabantur, icti à serpentibus.* Et nos icti sumus à serpente antiquo illo, Apoc. 12. v. 12. scorpio ille stygius nos vulneravit, vulneratos somnò securitatis nos velut sepe- livit, ut pestiferum illud peccati virus animam & corpus inficiat.

Nostri autem misertus Dominus, signa salutaria nobis dedit: hæc sunt sacramenta, verè signa salutaria:

1. *Ob efficientem principalem*, qui Deus salutis nostræ Deus, Psal. 51. v. 16. qui Christus unica nostra salus, Actor. 4. v. 12.

2. *Ob materiam caelestem*, corpus & sanguinem Domini perennes salutis nostræ fontes, ob aquas baptismi salutares.

3. *Ob finem salutarem*, qui nobis intenditur, remissio peccatorum, justitia, vita æterna.

4. *Ob poculum salutare*, quod nobis proponitur: poculum enim Novi Testamenti est testamenti salutis in Christi sanguine, qui fons est salutis, Matth. 26. v. 28.

Ob aquam salutarem baptismi, quâ salvos nos fecit Deus, Tit. 3. v. 5.

Ad hæc signa salutaria verâ fide conversi sanantur spiritualiter.

R r 3

CAP.